

Confirmatio Decreti a Magistro Generali Ordinis S. Spiritus de consensu Vocalium dicti Ordinis facti, quo cavetur, ne ullus imposterum in Ordine hujusmodi admittatur, nisi prius per continuum annum saltem in aliquo Archihospitalis S. Spiritus de Urbe ministerio, se laudabiliter gesserit.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis pastoralis officii munere his, quae pro religionum quorumlibet statu prospere dirigendo provide statuta, & ordinata sunt, ut inviolabiliter serventur apostolici roboris adiicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Refert Decretum accepto

§.1. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecit Ven. Frater Stephanus Episcopus Xirenen. nostri Archihospitalis S. Spiritus in Saxia nuncupati de Urbe Praeceptor, ac totius Ordinis S. Spiritus Magister Generalis ipse Archihospitalis, & Ordinis praedictorum profectui, bonaque directioni consultum esse cupiens die 13. mensis Decembris anni 1634. de unanimi Patrum Vocalium dicti Ordinis consensu, fecerit Decretum tenoris sequentis, videlicet: Nullus imposterum in Ordine S. Spiritus valide possit admitti, nisi prius per continuum saltem annum in aliquo dicti Archihospitalis ministerio se fideliter, & laudabiliter gesserit, ac annum aetatis suae attigerit. 45. non exceperit, salva in reliquis forma Constitutionis fel. rec. Sixti PP. V. de recipiendis ad religionem Novitii edita.

Et illud confirmat.

§.2. Nos inviolabili Decreti hujusmodi observantiae, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, dictumque Stephanum Episcopum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomolibet inmodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum hartum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Stephani Episcopi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praesentium, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomolibet intervenerint supplemus, ac illud in Archihospitali, & Ordine praedictis inviolabiliter observari mandamus.

Clausula.

§.3. Decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus

obtinere, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Archihospitalis, & Ordinis praedictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus proplene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris, die 16. Aprilis 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

Dat. die 16. Aprilis 1640. An. XVII.

DCLIII.

Nonnullae facultates Congregationi Propagandae Fidei conceduntur super Collegiis Avenionensibus.

Ex Regest. in Secret. Aven.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Alias per Nos accepto, quod in Civitate nostra Avenionen. unum S. Nicolai de Anexiaco magnum nuncupatum, & alterum de la Rovere vulgo etiam nuncupatum Collegia pro recipiendis, alendis, & instruendis in eis Collegialibus, seu Alumnis ex Provinciis, & locis in eorum fundatione expressis evocandis a multis annis, apostolica auctoritate, aut alias instituta, erecta, & dotata reperiuntur, & ex relatione Visitationis praefatorum Collegiorum in Congregatione de Propaganda Fide in nostra praesentia habita per Nos etiam comperto bona, tam libera, quam emphiteutica, & jurisdictiones, ac redditus praefatorum Collegiorum temporis successu, & malo Rectorum, & aliorum, qui curam illorum habuerant regimine, non solum deteriorata, & imminuta, sed etiam ex parte alienata, fuisse, ipsorum quoque Collegiorum aedificia praefatorum Ministrorum incuria, & negligentia pessundata, & disciplinam Collegialium, seu Alumnorum ob Constitutionum praedictorum Collegiorum inobservantiam fere penitus esse collapsam, & denique contra fundatorum mentem, & dispositionem, Pontificiasque Constitutiones

Refert alias a se hac Collegia regimini Cong. de Propag. Fide suis subjecta.

tionem pro praefatis Collegiis editas, multos graves in eis, & praesertim circa gubernium praedictorum Collegiorum, seu Alumnorum irreperisse abusus, quibus, nisi celeriter provideretur, res omnes praefatorum Collegiorum in deterius labi necessitate erat, & modica, seu nulla utilitas, aut fructus ex illis imposterum percipi potuissent: Nos eorumdem Collegiorum reformationi, conservationi, & manutentioni, bonoque eorum regimini, ac praefatorum bonorum, & jurisdictionum, ac reddituum eorum exactiioni, ac fideli administrationi consulere volentes motu proprio, non ad alicujus super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, habito desuper cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotio propagationis fidei in universum mundum praepositis maturo consilio, Collegia praedicta, & eorum quodlibet, necnon eorum, & cujuslibet ipsorum Doctores, Magistros, Scholares, aliosque Ministros, & personas quascumque, necnon bona, jurisdictiones, proventus, jura, & emolumenta quaecumque quocumque nomine nuncupata, aliasque res omnes, & singulas tam ecclesiasticas, quam profanas, necnon Ecclesias, seu Cappellas omnino jurisdictioni, gubernationi, protectioni, & directioni tunc, & pro tempore existentium eorumdem Cardinalium privative quoad alios omnes quacumque dignitate fungentes, etiam si specialem requisivissent mentionem, qui super Collegiis, personis, rebus, & bonis praedictis, vel eorum aliquibus similem gubernationem, protectionem, jurisdictionem, & directionem ex quacumque causa quomolibet habebant, seu habere potuissent, apostolica auctoritate perpetuo subjecimus, & submissimus, eisdemque Cardinalibus, praedicta Collegia, & eorum quodlibet, prout eis visum fuisset, reformandi, regendi, & gubernandi, Rectorisque, Judices, Cappellanos, Oeconomos, & alios Ministros eorumdem Collegiorum, & cujuslibet eorum deputandi, & constituendi, eosque, & quemlibet eorum ad eorumdem Cardinalium merum, & liberum, & absolutum beneplacitum, & etiam absque ulla causa amovendi, in Collegiis praefatis Scholares, seu Alumnos ex Provinciis in fundationibus eorum expressis, & nominatis oriundos, qui testimoniales literas suorum ordinariorum de vita, & moribus, & idoneitate ad studia deserant, admittendi, eosque si discoli, aut inepti ad studia fuissent, vel alii in literis, vel bonis moribus non perfectissent, & denique si Constitutiones praedictorum Collegiorum non observassent, e Collegiis ipsis, & eorum quolibet eiciendi, necnon eorumdem Collegiorum, & cujuslibet eorum bona, jura, & jurisdictiones, & redditus hujusmodi administrandi, ipsosque redditus in alendis Scholaribus, & Ministris, ac in reficiendis, & reparandis fabricis eorumdem Collegiorum, & co-

rum cujuslibet, aut alias prout expediens visum fuisset circa manutentionem, & conservationem dictorum Collegiorum, & cujuslibet eorum infumendi, bonaque, & jurisdictiones hujusmodi ad tempus a jure permittimus locandi, & dislocandi, affectus exigendi, eosque infumendi ut supra, ac de exactis quietandi, ac alia in praemissis, & circa ea quomolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, exercendi, gerendi, procurandi, & exequendi, etiam privative quoad omnes alios dicta auctoritate, facultatem etiam perpetuo concessimus, & impertiti fuimus, eisdemque Cardinalibus, ut facultatem hujusmodi, ut praefertur impertitam circa praemissa, vel eorum aliquod, ac in toto, vel in parte, prout eis visum fuisset tunc, & pro tempore existentibus Legatis, vel Pro-Legatis Avenionen., aut Congregationi particulari in Civitate Avenionen. erectae, seu erigendae communicare libere, & licite possent, & valerent, dicta auctoritate similiter perpetuo indulgimus, & alias, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis literis, quarum tenores, praesentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur.

Nunc alias eidem Congregat. facultates concedit.

§.2. Nunc autem prospero, felicique eorumdem Collegiorum statui, regimini, & gubernio per amplius consultum esse cupientes, ex relatione pariter Congregationis eorumdem Cardinalium die 27. Martii 1638. coram Nobis habita eisdem Cardinalibus negotio propagationis fidei in universum mundum praepositis, pro salubri eorumdem Collegiorum directione, & regimine nova Statuta condendi, & vetera reformandi, si opus fuerit, eisdemque veteribus statutis, & fundationibus, etiam si a Sede Apostolica, aut Legatis Avenionen. alias condita, vel confirmata fuerint pro bono Collegiorum praedictorum derogandi; Insuper Agentes, & Procuratores constituendi pro recuperatione bonorum, & jurisdictionum male alienatorum ad praefata Collegia spectantium, & denique alia quaecumque faciendi, & gerendi, quae pro recto regimine praefatorum Collegiorum, ac bonorum, jurium, & jurisdictionum eorumdem eisdem Cardinalibus necessaria, aut quomolibet opportuna videbuntur, plenam, liberam, & omnimodam licentiam, & facultatem, etiam perpetuo concedimus, & impertimur.

Derogatioque contrarium.

§.3. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quae in praefatis nostris literis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris, die 15. Maii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

Dat. die 15. Maii 1640. An. XVII.

Decla-

Ex Reg. in
Secret. Breo.

Declarat Civitatem Sarinæ, ac Terram Meldulæ, & Castrum del Rio in Provincia Romandiolæ existentia comprehendendi sub Legatione Romandiolæ.

Dilecto filio nostro Marco Antonio tit. Sanctæ Mariæ de Pace Presbytero Cardinali Francioto nuncupato in Provincia Romandiolæ, & Exarchatu nostris Ravenna nostro, & apostolica Sedis de latere Legato.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Causæ faciendæ declaratio nis.

§.1. CUM Nos de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio te hodie in Provincia Romandiolæ, & Exarchatu nostris Ravennæ nostrum, & Apostolicæ Sedis de latere Legatum, ac pro Nobis, & S. R. E. in spiritualibus, & temporalibus Vicarium Generalem cum certis facultatibus, & auctoritate procedendi etiam contra Feudatarios, Barones, & Domicellos ad triennium proximum, constituerimus, dubitari vero ab aliquibus forsitan posset, an Civitas Sarinæ, & Terra Meldulæ Sarinaten., seu alterius, aut Nullius Diocesis, necnon Castrum del Rio nuncupatum Imolen. Diocesis, quæ in Provincia prædicta existunt, & nuper, a Nobis, & Apostolica Sede ex causa devotionis, seu caducitatis, aut aliâ alio modo recuperata fuerunt, seu de proximo recuperabuntur, sub legatione tua hujusmodi, & facultatibus tibi, ut præfertur concessis comprehendantur.

Declaratio de qua in Rubr.

§.2. Nos licet nullatenus controverti possit, quin ea sint sub legatione, & facultatibus hujusmodi comprehensa, cum legatio, & facultates præfate quascumque Civitates, Terras, & Castra Provincie præfate complectantur, nihilominus, ut omnis circa id ambigendi occasio prorsus tollatur; motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, Civitate n Sarinæ, ac Terram Meldulæ, necnon Castrum del Rio hujusmodi sub legatione, & facultatibus præfatis, prout reliquæ Civitates, Terræ, & Castra Provincie, & Exarchatus hujusmodi comprehendendi, & comprehensa esse; Sicque ab omnibus censeri, teneri, judicari, & definiti debere sublata quibusvis aliter interpretandi, vel judicandi facultate, & auctoritate, tenore præsentium declaramus, & decernimus.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, quibuscumque Civitatis Sarinaten., & Terræ Meldulæ, ac Castrum del Rio præfatorum concessionibus, & infeudationibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibus-

cumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogationibus derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anno Piscatoris, die 21. Maii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

Dat. die 21. Maii 1640. An. XVII.

DCLV.

Pro restituendo, ac conservando in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia disciplinæ regularis candore.

De hujusmodi Fratrum Religione plene notatum est ad Constit. Sacrosanctum. & in sequentibus statutis generalibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, inscrutabili divina providentiæ voluntate præfidentis, quid pro felici Christianissimum quorumlibet, & præsertim regularium personarum, quæ abjectis mundi vanitatibus, Deo sub suavi religionis jugo se totas devoverunt, statui conferat, diligenter prospicimus, ac quæ ipsis per emissorum votorum semitas ad perfectionis apicem contendentibus, offendentibus esse possunt, removere studemus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§.3. Cum igitur, sicut accepimus, in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ob minus accuratam aliquorum præceptorum, regulæ eorumdem Fratrum Observantiæ, nonnullosque abusus, qui in Ordine prædicto contra Apostolicarum Constitutionum, præcipue & fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri decretorum pro reformatione Regularium editorum, præscriptum, pacem, mentisque quietem turbare, religionis candorem minui, ac fidelibus non paucorum scandalorum occasionem præberi contingat.

Motiva.

Hinc

1640.
Tollit quaslibet
defectiones,
& penas apponit.

§.1. Hinc est quod Nos ejusdem Clementis decretis, dictique Ordinis statutis, per Sedem Apostolicam confirmatis inhærendo, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione confirmantes, quæ aliâ a Nobis circa Patrum privilegiorum abrogationem, sub die 23. Julii anni 1639. sancita fuere, Patrum electione factorum, sive ii Procuratores, & Commissarii Generales Curie, sive Definitorum Generales Ordinis, seu Ministri Provinciarum, sive eorumdem Custodes, & Definitorum, a quibus ob majorem multitudinem majora etiam in eisdem oriuntur incommoda, quos ultra numerum in Statutis Ordinis præscriptum minime augeri posse sine dispensatione, decernimus, sive Provincialium gratiis, & privilegiis ex Ordinis concessione gaudentes extiterint, vel existant; relicta tantummodo præcedentia, ac antelatione, ac socio eisdem per Ordinis statuta respective concessis, omnes exemptiones, immunitates, licentias, consuetudines, quæ potius abusus dici possunt, quoquo modo in dicto Ordine obtenta, inducta, intrusaque in perpetuum cassamus, tollimus, abolemus, & abrogamus, ac cassata, ablata, abolita, & abrogata esse, & censeri debere, cuiusque in posterum tales exemptiones, & privilegia concedendi facultate penitus interdicta, sub privationis vocis activæ, necnon excommunicationis late sententiæ ipso facto incurrentis poenis, decernimus, & ordinamus.

Dat. facultat. Superioribus libere exercendi munus suum.

§.2. Declarantes, ex officiis, quibus functi fuerint, nullum aliud in ipsis remansisse, vel remanere, aut eos prætere posse jus, arbitrium, superintendentiam, intelligentiam, vel quocumque alio nomine nuncupetur, præminentiam in Provinciis, Conventibus, Fratrum collocacionibus, aliisque dispositionibus; ita ut liberum omnino sit Provincialibus, & Definitoribus (nullo ad prædictos Patres habito respectu) de Conventibus disponere, Guardianos instituire, Fratres collocare, aliaque exequi, sicut communi Provinciarum bono viderint expedire. Necnon Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem Apostolicam Cardinali Protectori, Ministro, ac Commissario Generalibus pro tempore existentibus, contravenientes Provinciales, & Guardianos taliter electos, obtentis officiis, eorum arbitrio, privandi; Patres vero præfatos, qui præteritorum officiorum per eos obtentorum prætextu, aliquid contra præsentis Constitutionis tenorem moliri, innovare, vel attentare præsumperint, ad majorem tranquillitatem, & pacem, eorumdem Protectoris, & Generalium arbitrio, etiam si opus fuerit in alienas Provincias transferendi, & transmittendi, facultatem concedimus, & impertimur.

Mandat quod Prædicatores

§.4. Ne autem in dicto Ordine recipiendi pro concionibus pecuniarias elec-

mosynas, deque illis ad concionatorum arbitrium disponendi, neve nimius equitandi abusus ulterius invalescant, gravissimisque Regulæ Beati Francisci voto, & præcepto passim contraveniatur, omnibus, & singulis prædicti Ordinis Concionatoribus, ultra poenas in proprietarios per ejusdem Ordinis statuta fulminatas, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub privatione officiorum, quæ obtinent, ac perpetua inhabilitate ad quacumque officia, gradus, & dignitates imposterum ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, ut de prædictis elemosynis per se nullo modo disponant, nec eas ab offerentium manibus in suas recipiant, vel in Procuratoris, sive alterius cujuslibet deponi faciant, sed easdem integras Superiori Provinciali significent, qui de illis juxta Regulæ præscriptum disponat; quibus etiam poenis eo ipso subiicimus omnes ejusdem Ordinis Fratres, qui sine manifesta, vera, gravi, & necessitate, aut infirmitate, & absque licentia Provincialis, vel in casu urgenti, Superioris localis, de consilio, & judicio trium Discretorum Conventus in scriptis obtenta, equitate ausi fuerint: eisdem poenas solis Ministro, & Commissario Generalibus aliquando, & ex rationabili causa remittendi, facultate relicta.

elemosynas Superioribus significent.

§.5. Quos cum Provincialibus Provinciarum, Commissariis, & ad urgentiora negotia destinatis paterne monemus, ut in casu urgenti, ac per regulam permisso, memores sint paupertatis, humilitatis, & patientiæ Christi Domini Salvatoris Nostri, ad cuius vite exemplum Beatus Franciscus, & conversationem instituit, & Ordinem suum fundavit, vilioribus, despectisque jumentis contenti sint, & comitatu, qui seculares divites decet, relicto, majori, qua fieri poterit, modestia gradiantur, exemploque cæteros præcipientes, sciant in concessis tantum casibus equitandi licentiam indulgere, super quo Superiorum omnium, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, conscientiam oneramus. Concedentes Provincialibus, & Provinciarum Commissariis, ut uno, eoque humili jumento, pro se tantum, non autem pro sociis, in necessitatibus articulo uti possint: alioquin si contrafecerint, suis officiis eo ipso destituti remaneant.

Dat. normam equitandi.

§.6. Ad hoc, ut prædicti Clementis Octavi Prædecessoris nostri decreta inviolabiliter observentur, omnes Fratres, præcipue nominatos Ordinis, & Provinciarum Patres, legitime non impeditos, ad Chori servitium, & ad faciendam hebdomadam, aliasque ecclesiasticas functiones, ad vestitum, & cellarum suppellectilem eorum statui convenientes, ad communem mensam, cum eisdem pane, vino, obsonio (nihil cuiquam singularitatis concessio) ad egressum de Conventibus cum licentia, & socio, qualibet vice a Superioribus obtinendis, benedictionisque receptione post regressum, ad cubitum singulorum in singulis lectis, ad orationis men-

Observati mandata Constit. Clem. 8. & penas apponit.

mentalis studium, a qua nullus, cuiuscumque conditionis existat, exemptus censetur, ad silentii custodiam, ad culparum capitula, ad virtutum exercitium, ad colloquutiones, & sermones, singulis saltem hebdomadis, de regulari disciplina, spiritualique profectu tractantes, teneri volumus, & obligamus, nedum sub poenis in eisdem decretis contentis, verum etiam sub privatione officiorum, & perpetua inhabilitate posterum ipso facto incurrendis: Guardianis, Provincialibus, & Generalibus respective, qui sine legitima causa praedictorum transgressionem permiserint, & notabiliter negligentes, ac transgressores non legitime impeditos, voce activa, & passiva non privaverint, & imposterum ad alia non inhabilitaverint, prout Nos hac nostra Constitutione (quam in sola Cisfontana familia valere, statimque post eisdem notitiam a praedictis Superioribus sub fulminatis poenis in quolibet Conventu, pro felici executione publicari, ac in statutis Ordinis inferri, & cum illis bis saltem in anno publice in Communitate Fratrum legi, sub destitutione ipso facto Superiorum localium negligentium, volumus) privamus, & inhabilitamus, ac tamquam candoris ordinis obscuratores, disciplinaeque regularis relaxatores, privatos esse volumus, & declaramus.

Decretum irritans.

§.7. Sicque in praemissis omnibus, & singulis inviolabiliter observari, & per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.8. Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, distique Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, & Fratribus, ac quibusvis aliis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus ad effectum praemissorum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§.9. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica con-

stituta munitis eadem prorsus ubique fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1. Junii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

Dat. die 1. Jun. 1640. An. XVII.

DCLVI.

Confirmatio nonnullarum Declarationum Congregationis Concilii Tridentini, videlicet Episcopum posse sine Adjunctis procedere contra Coadiutorem, nisi ei fuerint concessa omnia privilegia, quae habent Canonici, ac Episcopum super hoc per Capitulum impediri non posse, nec ipsos Capitulares posse multare Episcopum, sed solum ad superiores appellare.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Cum sicut accepimus a Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus fuerit quaesitum: An Episcopus possit solus sine adjunctis procedere contra Coadiutores Canonice: Secundo an in casu, quo solus procedat possit per Capitulares adjunctos impediri monitionibus, & inhibitionibus: Tertio quatenus Episcopus spernat hujusmodi inhibitiones, & monitiones liceat eisdem adjunctis multare Episcopum, vel potius appellare debeat ad superiores: Disti vero Cardinales ad quaesita hujusmodi responderint, prout sequitur videlicet ad primum Episcopum posse, si Coadiutori non fuerint concessa omnia privilegia, quae habent ipsi Canonici. Ad Secundum per Capitulares non potuisse impediri. Ad Tertium pariter non potuisse Episcopum multare, sed ad Superiores appellare debuisse.

Referuntur Decr. Congr. Concilii.

§.2. Nos pro firmiori responsum hujusmodi substantia, & observatione eadem Responso apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus, ac illa observari mandamus; Sicque per quoscumque Iudices Ordinariorum, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Quae confirmantur.

§.3. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore

Obstantium derogatio.

robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Jun. 1640. An. XVII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Junii 1640. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

DCLVII.

Confirmatio electionis Sancti Dominici in Patronum Civitatis Neapolitanae, & totius Regni.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procurium.

Domini nostri Jesu Christi, qui servos suos aeternae gloriae premio donat in Coelis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex injuncto Nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorundem Servorum Christi debitus honor, & veneratio in terris in dies magis promoveatur, & laudetur Dominus in sanctis suis.

Quamobrem Christi fidelium ad eorundem Sanctorum patrocinium confugientium vota, ut optatum sortiantur effectum, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac desuper eisdem officii partes propensis studiis impendimus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§.1. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Neapolitanae, aliarumque Communitatum, & Universitatum, ac hominum totius Regni Neapolitani, Nobis nuper expositum fuit, quod ipsi ob singularem, quem erga S. Dominicum Ordinis Praedicatorum Institutorem gerunt devotionis affectum, eundem S. Dominicum in Patronum, & Protectorem Civitatis, & Regni hujusmodi elegerunt: Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praedicti plurimum cupiant electionem hujusmodi, quo firma perpetuo subsistat, nostro, & huius S. Sedis Apostolicae patrocinio communitari.

Confirmat prout in rub.

§.2. Nos eorundem exponentium pietatem, & consilium hujusmodi plurimum in Domino commendantes, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa laetis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus exponentium eorundem nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis de Venerabilium Fratrum nostrorum San- Bull. Rom. Tom. VI. Per. II.

Et Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum consilio, electionem praedictam, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet inter- venerint, supplemus.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis si dem addit.

§.4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima tertia Augusti 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

Dat. die 27. Augusti 1640. An. XVII.

DCLXVIII.

Statuta Generalia a Sanctissimo Domino Nostro Urbano Octavo in forma speciali, & ex certa scientia, ac cum praesentibus ipsorum literis sequentibus confirmata.

Similia Statuta habes in Constit. hujus Pont. Sacrosanctum, ubi plura ad materiam annotata reperies.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

In supremo apostolatus folio, meritis licet imparibus, divina dispensatione praesidentes, ex incumbenti Nobis pastoralis officii debito Religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei Militantium prospectum statum, felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, iis, quae propterea pie, & provide, praesertim in eorum Capitulis Generalibus facta fuisse, comperimus, ut firma perpetuo, & illibata remaneant, libenter, cum a Nobis petitur, apostolici muniminis adicimus firmitatem, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§.1. Cum itaque, sicut dilectus filius Joannes Merinero Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Minister Generalis Nobis nuper exponi fecit, in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in Domo Beatae Mariae de Ara-Coeli nuncupatae de Urbe praedicti Ordinis novissime celebrato, pro felici universi Ordinis hujusmodi gubernio, & directione nonnulla Statuta edita fuerint, tenoris subsequenter, videlicet.

In Capitulo Gener. hujus Ordinis edita fuerint nonnulla Statuta.

STATUTA GENERALIA
Pro utraque Familia.

De Ministro Generali.

Declarat Capitulum Generale, omnem, & quamlibet potestatem, qua in Ministro Generali reperitur ad dispensandum in Statutis Generalibus, totam ipsi provenire a Generali Capitulo: unde quoties ab eodem Capitulo Generali decreto irritante prohibetur, ne in aliquo Statuto concedatur absolute dispensatio, vel non nisi sub certis conditionibus ibidem expressis, si Generalis Minister, aut absolute dispenset, aut conditiones ad dispensandum requisitas non observet, huiusmodi dispensatio ipso facto irrita evadit.

Ordinatur a Capitulo Generali, ne liceat Ministro Generali, & multo minus aliis inferioribus Prelatis, qui electionibus praesident, illas jam inchoatas suspendere, aut iis jam congregatis, ad quos spectat faciendis electionibus interesse, eas impedire, ne fiant. Praeterea iisdem Prelatis Generalibus interdicitur, ne functiones, qua ad Congregationem legitime convocatae spectant, suspendere, aut impedire praesumant: scientes totum hoc irritum fore, utpote violentum, & libertati electionis contrarium.

Item prohibetur iisdem Prelatis Generalibus, ne posthac ad Provincias quemquam mittant, ut celebrandis earum Congregationibus intermediis praesent, nisi causa valde notoria, & urgens se obtulerit, vel major Definitorii pars Provinciae ita postulet. Alioquin Provinciales, & alii, ad quos attinet, uti jure suo in hac parte permittantur.

Si Generalis Minister e Familia discedat, ex qua fuit assumptus, & neminem ibi relinquat, cui vices suas commiserit, ut ad eum veluti Commissarium Generalem e Provinciae recurratur, in hoc eventu determinat Capitulum Generale Provincialibus fas esse cum Definitoribus ad intermedias Congregationes celebrandum devenire. Capitulum tamen Provinciale nullatenus celebrabit.

Declaratur nemini Prelatorum deinceps licere vices suas alteri committere, ut in Capitulo Generali ipsius loco tam ad eligendum, quam ad alios actus ibi exercendos intersit. Quia Sanctissimus Dominus noster Urbanus VIII. Constitutione edita, & in praesenti Capitulo promulgata, similes substitutiones contra formam Constitutionum factas interdixit.

Commissarius Generalis Belgicae nationis secundum antiquam consuetudinem fit a Ministro Generali cum potestatis plenitudine, & huiusmodi officium triennale est.

Praedicto Commissario Generali Belgico fas erit auctoritatem suam alteri subdelegare, attamen subdelegatus non habebit in electionibus votum, quo fruitur ipse Commissarius.

Congregationes intermedias, ex vi sui muneris cogere nequit, & ideo in hac parte statutorum generalium decretis standum est. Quinimo omni severitate praefatis Commissariis praecipitur, & decreto, quicquid in contrarium fecerint, irritante prohibetur, ne Congregationes nationales cogere, aut celebrare praesumant, quicquid in contrarium habeatur in Statutis Generalibus Barchinonensibus pro eadem natione accommodatis, qua Capitulum Generale ad hunc effectum dumtaxat revocat. Quod si id necessarium censuerint, Capitula, seu Congregationes Generales expectent, & ibi nationalium Congregationum celebrationem fieri ipsis permittitur.

De Vicario Generali Ordinis.

Ad tollendam omnem ambiguitatis speciem, atque ut certior cognitio de qualitate eligendi in Vicarium Generale habeatur, revocat Capitulum Generale Constitutionem illam Ultramontanae familiae, qua statuebatur, ut vita functo Generali Ministro, electio Vicarii generalis fieret in familia, in qua vita functus est Generalis, dummodo is, qui Vicarium totius Ordinis erit eligendus, sit ex illa familia, ex qua erat Generalis Minister, ex cuius persona officium Ministri Generalis vacavit. Et statutis Cisfontanae familiae adhuc praecipitur, ut vacante quacumque de causa officio Ministri Generalis, electio Vicarii Generalis, in ea familia celebretur, ex qua erat Generalis assumptus. In electione autem facienda unaquaque familia modum sibi in Constitutionibus praescriptum observabit.

Jubetur deinde, ut in eiusmodi electione votum activum habeant Patres omnes, qui pro tempore in Generali Definitorio assistunt: videlicet discreti perpetui Ordinis, aut familiae, quales sunt Ministri, & Commissarii Generales praeteriti, & Vicarii Generales praeteriti, qui per biennium completum officium Vicarii Generalis exercuerunt. Deinde Procurator, & Commissarius Romanae Curiae, Procurator Generalis Reformatorum Cisfontanae familiae, & Definitores Generales utriusque familiae, quamdiu munere suo actu funguntur dummodo in ea natione praesentes sint, ubi electionem fieri contingat. Quod si absentes sint, nec vocandi erunt, nec expectandi, sed ad electionem juxta praescriptum Constitutionum, Generalium erit procedendum, quam utraque familia, nemine dissentiente, novo compromisso sic faciendam pronunciat.

De

De Patribus perpetuis Ordinis,
& Familiae.

Attento Ordinis, ac honoris gradu, in quo singuli, pro sua quisque dignitate constitui debent, Capitulum Generale determinat, ut perpetui Ordinis, & familiae Patres secundum a Superiore locum semper obtineant: ita quod Ordinis Patres in toto Ordine, unus tantum Superior sedendi ordine praecedat. Unde praesentibus Ministro, vel Commissario Generali, illi solummodo praecedent. Si vero absint, solus Provincialis, & hoc absente, Guardianus Conventus anteibit. Et idem cum familia Patribus, unoquoque in sua familia observetur, sicut statuto Cisfontanae familiae fuerat praecipuum, a qua mutuum in Ultramontana familia observandum, statuit Capitulum Generale.

De Procuratore, & Commissario Generali
Curiae Romanae.

Declarat Capitulum Generale juxta Constitutionem Gregorii XIII. Procuratorem, & Commissarium Generalem Curiae Romanae tam in Capitulis, quam in Congregationibus Generalibus, in Definitoriis assistere semper debere, nimirum, ut in veteri Definitorio, quod tunc absolvitur, & in novo, quod creatur, Religionis rebus determinandis intersint. Et idem statuit de Procuratore Reformatorum Cisfontanae familiae, juxta Constitutionem SS. D. N. Urbani VIII.

De Definitoribus Generalibus, & eorum
subrogatis, ac substitutis.

Censuit Capitulum Generale nimis indecorum esse, atque ab optimi regiminis ratione valde alienum, ut Definitores Generales primarii in ordine iudices, penes quos est aliorum suffragatorum discussio, & approbatio, in Congregationibus, & Capitulis Generalibus suffragandi potestate careant: Et ideo statuit, ut posthac Definitores Generales utriusque familiae tam in Congregationibus, quam in Capitulis Generalibus, ubi suo funguntur officio, suffragium ferant non aliter quam in suarum Provincialium Capitulis, & Congregationibus suffragantur.

Quando in utraque familia continget, ut Definitores Generales absint, vel quolibet eventu deficiant, statuitur, ut eorum loco alii statim subrogentur, vel substituantur. Verum tam in substitutione, quam in subrogatione, forma in statutis apud Toleletum novissime editis tradita observetur.

Patres illi, qui loco Definitorum Generalium, dum adhuc vivunt, & absentes, substituantur pro Capitulo Generali, deinceps inter Provinciae suae Patres numerentur: dummodo ultimi sint, & post eos locum habeant, qui Ministri, & Vicarii Provinciales jam extiterunt, vel postea eisdem officiis perfungentur.

Bull. Rom. Tom. VI. Pag. II.

De Ministris Provincialibus.

Prohibet Capitulum Generale, ne in Ministros Provinciales assumantur, nisi qui de earumdem Provincialium corpore, hoc est, ibi Professores, vel a longo jam tempore (saltem per decennium) in eis fuerint incorporati, & insuper in inferiorum officiorum gradibus aptitudinis suae ad gubernandum specimen praebuerint: aliter electio ipso facto irrita, & nulla sit.

Titulares Ministri ad suffragandi effectum solummodo electi, ad instar Commissariorum Provincialium habeant, qui pro Provincialibus legitime impeditis Generali Capitulo suffragantur: Nec ullo Patrum Provinciae privilegio, aut exemptione gaudeant.

De Vicariis Provincialibus.

Provinciali Ministro e vita decedente, determinat Capitulum Generale ad amputandas litium occasiones, qua ex diversis Provincialium consuetudinibus, ac Constitutionibus oriuntur, ut in toto Ordine, Regestrum scripturae, & sigilla ad digniore Provinciae Patrem, eum videlicet, qui primum locum vendicat, statim deferantur. Is vero absque mora convocato Definitorio faciet Vicarii Provincialis electionem, in qua votum activum habeat, & passivum. Quod si Minister, aut Commissarius Generalis intra tres dietas consistant, consulendi sunt, & eorum responsio expectanda. Si tamen longius absentibus inconsultis fiat electio, non obstante statuto in contrarium edito, quod ad hunc effectum revocat Capitulum Generale.

Vicarii Provinciales, qui per biennium completum in officio steterunt, Patrum Provinciae privilegium, & praecedentiam habeant: eos tamen subsequenter, qui Ministri Provinciales extiterunt, vel postmodum existunt. Absoluto tamen Vicariatus Provincialis officio, non nisi post triennii vacationem in Provinciales Ministros eligentur. Qui vero per biennium, integrum in officio non steterint, nullo gaudeant privilegio, sed absque ullo vacationis interstitio eligi poterunt Provinciales Ministri.

Is, qui mortuo Provinciali Ministro, vel quolibet eventu vacante, in Vicarium Provinciale fuit assumptus, usque ad Capituli Provincialis celebrationem in officio durabit. At vero Capitulum pro Superiorum Generalium arbitrio anticipari poterit, vel prorogari, dummodo tempus a lege praescriptum non excedatur.

Provincialibus Ministris e Provincia discedentibus, vel ad Generale Capitulum, vel negotiorum causa, qua per ipsos fieri necesse sit, quolibet eventu officium vacaverit, Commissarii Provinciales, qui reliqui fuerint, sub titulo, & appellatione Vicariorum Provincialium in officio succedent, quousque Capitulum Provinciale celebretur. Quando autem absque